

In insperatum sed beatum
obitum ac abitum plurimum
reverendi atquè
præclari...

Lithovius, Isaac,

82 Aa 13/2 Lechander



National Library
of Sweden

In
Insperatum sed Beatum
Obitum ac Abitum

Plurimum Reverendi atque Præclarissimi Viri Domini
Mag: JOANNIS LECHANDRI
Nericii, Regii Gymnasii Strengnesiæ Theologiæ Lectoris celeberrimi,
Ecclesiæ in öfwer Selö; Pastoris vigilantissimi,

Qui
Die 17 Maii Anno 1695 placide in Christo, Holmiæ obiit, eodemque Anno, in
Templo Cathedrali Strengnensi, die 19 Septemb. pompâ Funebri, sepulchro inferebatur:
Reverentiæ & honoris testandi causa

Scripsit
Jsaac Gut. Lithovius.



Miseria & Fugacitas hujus vitæ est cogitanda, ut cor nostrum
elevator ad desiderium cœlestis hæreditatis, vita hæc dum crescit, si-
mul decrescit, dum augetur, simul minuitur, quicquid ei accidit, etiam decedit, punctum est
temporis quod vivimus, & puncto minus; vitæ hujus principium est mortis Exordium; Navi-
ganti est similis vita nostra; qui navigat, sive stet, sive sedeat, semper ad portum accedit
propius; sic & nos, sive dormientes, sive vigilantes, sive jacentes, sive ambulantes, sive
nolentes, sive volentes, per momenta temporum semper ad finem ducimur. Exemplum nostris oculis
subjectum est, in Viro Plurimum Reverendo atque Clarissimo Domino Mag: JOANNE LE-
CHANDRO piè defuncto, qui in media ætate, ex hac miseriarum valle migravit, & ad penetra-
lia cœli se contulit; Ah tristissimum & Luctuosissimum casum mors Plurimum Reverendi atque Cla-
rissimi Mag: piissimæ ac felicissimæ memoriæ nobis attulit, siquidem Parca illa acerba Lectorem Theo-
logiæ primum huius celeberrimi Gymnasii, Pastorem Ecclesiæ Seloënsium auferre non verita est,
ille sanè diuturniorem vivere vitam dignus fuit, sed quid dicam? Omnes, quotquot in mundo, mor-
tales sumus; qua de re poëta admodum scite canit:

*Mille modis morimur, mortales nascimur uno,
Sunt hominum morbi mille, sed una salus.*

Hic Reverendus atque Clariss: Dom: Mag: dilexit cœlestia, despexit terrestria, amavit Deum
Omniscium & Omnipotentem quo nihil est potentius, nihil sapientius, nihil pulchrius; non im-
merito igitur Deum dilexit, quia Deus jam prius illum dilexerat: dilexit eum cum non dum esset, dilexit
cum inimicus esset, dilexit cum in peccato prolapsus esset. Hic Beatus noster præceptis divinis obsecundavit,
mandata quantum valebat servavit, & voluntati Dei se præbuit obedientem, hujus mundi voluptates non
amavit, sed ad cœlestem sævavitatem adspiravit, quid dono hoc Dei majus? quid munere divino sævavius?
quid cœlesti ac ingeniosa natura ejus jucundius? quid virtutibus illustrius, laudabilius, integrius?
Hisce omnibus, præfatus hic plur. Reverendus Vir præditus ornatusque, fuit ad pericula sèveunda fortis,
ad labores impiger, divinæ castigationis tolerans & patiens, ad consilia prudens, vera laude probitatis ac
diligentiæ cumulativissimus, neminem suæ fortis huic antepo-
nam, nam in eo fuere, quæ aut fortuna homini-
bus, aut natura largiri solet; ejus animi virtutes quis enumerare aut sermone, potest consequi? Hic plur.
Reverendus Vir non invidabat proximo suas fortunas, non fuit superbiâ inflatus, neque avaritiâ ardens,
sed apparebat misericordia in affectu, benignitas in vultu, humanitas in habitu, modestia in cohabi-
tatione, patientia in tribulatione, semper mala sua præterita dessevit, præsentia bona parvi pependit,
futura bona toto cordis desiderio concupivit. His ita consideratis, animam Redemptori suo
pie commendavit.

Ex officina Beati Billingsleys.



Mons: Collingh

